



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XLVII. De laicis recipientibus & occupantibus ecclesiastica beneficia. Ex statuto domini Ioannis Tusculani, quod incipit: Laicos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

XLVI.

*De his qui ad vacantes ecclesiastas mittunt armatos, & faciunt  
ibi expensas. Ex statuto domini Eberhardi Saltzburgen sis  
archiepiscopi, quod incipit: Ad . . . . .*

Prælati, principes, & alii nobiles atque officiales eorumdem, qui ad vacantes prælaturas, beneficia sive officia, mittunt gentes armorum, & inibi expensas faciunt graues, aut compellentes eligere per abusum potestatis secularis, aut potentia inordinata; seu qui electum & confirmatum non admittunt ad possessionem, nisi pro certa pecunia quantitate; nisi infra mensem emendauerint quod fecerint, excommunicati sunt ipso facto: a qua sententia non absoluantur, donec satisfaciant, & extorta restituant: in quibus etiam non prodest eis remissio.

XLVII.

*De laicis recipientibus & occupantibus ecclesiastica beneficia.  
Ex statuto domini Ioannis Tusculani,  
quod incipit: Laicos.*

Laici recipientes & occupantes ecclesiastica beneficia, nisi infra mensem a tempore occupationis computando, ipsa dimiserint, ipso facto excommunicationis sententiam incurront.

XLVIII.

*De aduocatis ecclesiarum, qui ultra iura eis debita ecclesiastica,  
grauant ecclesiastas. Ex statuto eiusdem domini Ioannis,  
quod incipit: Nonnulli.*

Mortuo ecclesiastice aduocato, non omnes eius filii, sed ille solus in quem omnes, vel maior pars ipsorum consentit, habeatur pro patrono. Et aduocati ecclesiarum, qui defendendo & manutenendo personas & bona ecclesiarum, quarum sunt aduocati, negligentes fuerint aut remissi, huiusmodi aduocationis officio priuati sunt ipso facto. Qui vero ab huiusmodi ecclesiastis ultra debitum aliquid auferre præsumperint, nisi infra mensem ablata restituerint, singulis mensibus debent excommunicati denunciari.